



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Geschichte der geistlichen Stiftungen, der adlichen Familien, so wie der Städte und Burgen der Mark Brandenburg**

[Urkunden-Sammlung für die Orts- und spezielle Landesgeschichte]

**Riedel, Adolph Friedrich**

**Berlin, 1849**

I. Markgraf Otto legt den Bürgern Brandenburgs die Zollfreiheit bei, im J. 1170.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-54022](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-54022)

## Urkunden.

### I. Markgraf Otto legt den Bürgern Brandenburgs die Zollfreiheit bei, im J. 1170.

In Nomine Sancte Individue Trinitatis. Notum sit universitati fidelium, tam presentibus quam futuris nunc et in perpetuum. Ego Otto, dei gratia Brandenburgensis Marchio et Judita, uxor mea, filiique nostri Otto maior et Henricus minor, principatum et titulum nominis officiique nostri ad hoc a Deo nobis impositum agnoscimus, ut patres orphanorum et iudices viduarum simus. Praeterea delicta, quibus ex necessitate secularium negotiorum inuoluimur, multiplex elemosyne largitione oportet ut emaculemus. Unde est quod ciues nostri Brandenburgenses, ad finem misericordie nostre concurrentes et gratiam nostram impetrantes ab omni exactione telonei ex hoc nunc et in perpetuum absoluiimus. Accidit autem ut pre nominatus Marchio sedens in castrum suum Havelberg ad placitum suum, quod vulgo dicitur Botting, pro tribunali a Baronibus suis inquisit, quod castrum principatus eius specialiter principale nomen teneret, surgens quidem unus de primis consilii et palatii domini Marchionis, nomine Borchardus, pro omnibus et pre omnibus circum sedentibus respondit: pre coeteris castris totius Marchie Brandenburg gloriosum ejus nomen est et famosum, regale castrum, camera imperialis sedes episcopalis. Ea propter deliberato a Marchione et primatibus eius communi consilio, ciuibus Brandenburgensibus liberam emendi et vendendi per omnem terram ditioni nostre subjectam data est potestas absque teloneo. Generaliter autem teloneum de piscibus non remittit, nisi tantum de alecibus, mrenis et lassis. Quicumque hanc perpetuam istius confederationis violauerit stabilitatem, Brandenburgensis Marchionis et eius successorum incurrisse nouerit offensionem. Anno dominice incarnationis M<sup>o</sup>. C. LXX., regnante domino Friderico imperatore et domino Episcopo Willemaro Brandenburgensi, coram idoneis testibus hec data sunt. Hec scripsit Wiricfus Francigena, capellanus domini Marchionis Ottonis.

Nach dem Original. — P. v. Ledebur Allgem. Archiv XIII, 165.

### II. Markgraf Johann vergrößert die Stadt Alt-Brandenburg durch einige in der Nähe liegende Dörfer, am 18. Juni 1249.

In Nomine Sancte et Individue Trinitatis. Johannes, Dei gratia Brandenburgensis Marchio, omnibus in perpetuum. Temporum mobilitas et humane memorie instabilitas exigit et requirit, ut ad notitiam posterorum gesta precedentium scriptis authenticis commissa commaneant, ne per obliuionem, que inimica solet esse posteritatis, argumenta veritatis obtenebrentur et dubii questio generetur. Proinde notum esse volumus tam presentibus quam futuris Christi fidelibus uniuersis, quod nos utilitati et commodo antique civitatis nostre Brandenburg intendentes, eidem villas Lukkenberg, Blofendorp et montem, qui Callenberch appellatur et dicitur cum uniuersis appendiciis pratis,